





7  
36.  
1704, 13 24  
Q. D. B. V.  
DISPUTATIO ORDINARIA  
EXHIBENS

SYNOPTICAM  
**PRECARII**  
TRACTATIONEM.

Qvam

Divini Numinis Auspicio

PRÆSIDE

**DN. PETRO MASCOVIO,**

Jcto & Antecessore Ordinario, Juridicæ Facultatis  
Seniore & p. t. Decano, Regiique Consistorii  
Directore,

*In Auditorio Majori*

*D. 22. Decembris Anno 1704.*

publicæ placidæque ventilationi  
submittit.

**JOACHIM. HENRIC. Bolschow/**

Berg. Rug.

\*\*\*\*\*

GRYPHISWALDIÆ,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,  
Reg. Acad. Typogr.

38.

36.



## PRECARIII

Tractationis.

THESIS I.



Otiorem eqvidem rerum, sed priorem tamen verborum curam esse oportere, vulgatâ regulâ traditur, ut scilicet per hæc in illorum cognitionem eò melius invehamur. Quam & Nos sequentes ante omnia dispiciamus, unde nomen *Precariii* descendat, & quotupliciter terminus *Precariii* accipiatur:

Dicitur autem *Precarium* à precibus vel precando, quoniam precibus rogantis conceditur *precarium* *l. 1. pr. l. 14. ff. de Precario.* precesq; intervenisse necessario oportet, ad eò, ut ubi nullæ preces, ibi nullum quoq; *precarium* sit; valet siquidem argumentatio ab Etymologia vocabuli sumpta, si negativè concipiatur; Non est precibus impetratum, ergò non est *precarium* *l. 1. ff. 2. ff. de Precar.* Secus si affirmative: Est precibus impetratum, ergò *precarium*, quia potest esse mutuum; nam & mutuum potest esse precibus impetratum *l. rogasti 11. ff. de rebus cred.* Everhard. in loc. *Top. tit. 4. ab Etymologia. n. g.* Matth. Stephani in *Dialect. Juris. Lib. 2. loc. 5. n. 4.*

THESIS II.

Ambiguitatem *Precariii* quod attinet, *Precarium* dupliciter accipitur, materialiter scilicet & formaliter: *Materialiter* pro ipsâ re *precarior* concessa, *l. 1. pr. ff. de Precar.* Ubi ab Ulpiano, *precarium* dicitur id, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is,

A

qui

qui concessit, patitur. *Formaliter*, pro ipsa actuali concessione rei acceptum, precarium aliter atq; aliter à Dd. definitur, prout videre est in Commentariò Dn. Præsid. ad L. 23. ff. de Reg. Jur. §. IX Confer. Eckolt. in *Comp. ff. b. t. §. 1.*

THESES. III.

Nos in præsentiarum, in ult. significatu acceptum definimus precarium: Quod fit actus liberalitatis, quo res aliqua petenti gratis ad indeterminatum usum conceditur, ea conditione, ut concedens eam, quancunq; velit, repetere possit.

THESES. IV.

Diximus esse *Actum*, nam nec donatio est, nec contractus, nec quasi contractus. Strauch. *Disert. ad univ. Jus Justin. Disert. 13. §. 11.* utiq; commodius genus invenire non licuit; Quod enim precarium, Donatio non fit, satis inde constat, quia per donationem dominium in donatarium transfertur, in precariò non item l. 1. §. 2. ff. de Precar. ubi Jctus Ulpianus ait: Et distat à donatione, eo quod qui donat, sic dat, ne recipiat: at qui precariò concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium solvere. Quod autem precarium propriè strictè & in sensu Juris Civilis, *Contractus* non fit, multis rationibus probat Ludwell. ad *Wesensb. b. t. n. 2.* & pluribus adhuc Greg. Biccus in *Tractat. de Possess. duor. plurimove ejusdem rei. ad l. 3. §. 5. de acquir. vel amitt. possess. quæst. 6. per tot.* Potiores sunt, quod precarium nullibi contractus dicatur, nec inter contractus, ut talis, referatur. Deinde, quia precario non competit definitio contractus: cuicunq; autem non competit definitio contractus, ei nec definitum, atq; de precario verum est prius, E. & posterius: prius probatur, quod de precario dici non possit, quod fit conventio

ventio super negotio civili obligationem producens:  
feu, quod sit conventio, propria sua vi producens obli-  
gationem & actionem *arg. l. 14. ff. b. t. l. 14. §. 11. ff. de furt.*  
Precarium enim nec formam, nec causam contractus  
habet: Non *illam*, quod hic saltem detur res utenda,  
ut ad libitum possit revocari *l. 1. pr. ff. b. t.* Non *hanc*,  
quia hic non datur aliquid ut iterum quid detur vel  
fiat. Hahn. *in Observ. ad Wesenb. b. t. n. 2.* Denique, si  
precarium contractus esset, vel nominatus esset, vel  
innominatus, atque neutrum de precario dici potest,  
Ergo. Quod enim contractus *Nominatus* non sit, inde  
patet, quod speciale nomen non habeat nec specialem  
producat actionem; precarium namque non est appel-  
latio certi contractus, sed generalis, ad res omnes pre-  
cibus ab alio sive ad proprietatem, sive ad usum impe-  
tratas, pertinens, exemplo permutationis, cujus nomen  
etiam generale, & emptioni venditioni, locationi con-  
ductioni, aliisque contractibus justitiæ commutativæ  
subjectis commune. Vid. Tabor *in not. ad Coll. Jur. Arg.*  
*l. 1. b. 2.* Gregor. Biccus *super. cit. tr. question. 6.* Dissentiunt  
alias Wesenb. *in parat. ff. tit. de Precar. n. 2.* Vultej. *ad*  
*§. 2. Inst. quib. mod. re contrab. oblig. & Gudelin. de jur. noviss.*  
*lib. 8. c. 4. vers. insuper Sc. & novissime Joh. Georg.*  
*Fleck. in Biblioth. Jur. Civil. Theoretico-Practica lib. 3. tit. 14.*  
ubi precarium contractum verum realem & unilate-  
ralem esse statuit.

THES. V.

Cæterum quod Precarium nec Contractus *Innomi-*  
*natus* sit, probatur inde, quod ad nullam eorundem  
speciem commodè referri possit. Et sicuti de articulo,  
Do ut des, item facio ut Facias, res per se clara est &  
manifesta, ita de reliquis dubium quidem movent

Treutlerus & Bocerus, quando *Ille vol. 1. Disp. ad ff. 24. §. 5. lit. c.* precarium ad contractum innominatum, Do ut facias, retulit: hoc modo, Do tibi rem, ut mihi eandem, cum libuerit, restituas; Et *Idic ad l. 23. ff. de reg. jur. c. 4. n. 23. seq. & Clasf. 2. Disp. 9. §. 34.* ad contractum innominatum, Facio ut facias, hoc modo, concedo tibi hanc rem precario, ut eam mihi quovis tempore restituas, referre non dubitavit. Sed perperam, & valde improprie, quia neque precario concedere, Dare, neque restituere, Facere est, prout ea verba in materia contractuum innominatorum usurpantur. arg. *l. 7. §. 2. ff. de pact. & l. 5. §. 1. seqq. ff. de prescript. verb.* Siquidem dare ibidem denotat dominium transferrè, & facere est, quod in vicem compensationis, pro eo quod datum est, perficere: & aliàs mutuum, commodatum, depositum & pignus sub istum contractum, Do ut des referri possent. Confer. Ludwell. *ad Wesenb. h. t. n. 2. & Bachov. ad Treutler. in not. d. l. lit. c.* Dissentit alias & Mejer. *in Disput. de Culpa §. 125. & seq.* ubi non absurdum esse dicit, precarium appellare contractum innominatum citat. à Tabore *in not. ad C. l. A. h. t. §. 2.*

THEO. VI.

Denique quod Precarium nec Quasi contractus appellandus sit, prout Cujacius non uno in loco voluit, citatus ab Hillig. *in Donell. enucl. lib. 14. c. 34. lit. a.* inde patet: Quod precarium non sit negotium civile, absque conventionione seu consensu contractum, qualia omnes quasi contractus sunt & esse solent arg. *l. 25. §. 16. ff. famil. hereticis.* Et præterea nullum in se continet negotium, nec ullam civilem actionem parit, ita ut ex eo heredes etiam in solidum tenerentur, quod in reliquis quasi contractibus usu venire videmus. *l. 8. §. ult. l. 14. ff. de*



de precar. plus enim quam manifestum est, precarium sine consensu rogantis, & sine voluntate concedentis ab initio introduci & consistere non possit. *l. 1. §. 2. l. 2. l. 15. ff. h. t. Gregor. Bicc. supr. cit. tr. quæst. 6.*

THESES. VII.

Nec his omnibus obstat primò, quod precarium in *l. 23. ff. de Reg. Jur.* inter contractus reletum reperiatur; Nam id factum est vel propter affinitatem, quam cum commodato habet, vel quod contractus appellatio in *cit. l. 23.* generaliter & improprie accipiatur pro quocumque negotio ex quo obligatio oritur, ut ex subjectis ibidem exemplis satis superque apparet. Ludwell. *ad Wesenb. h. t. n. 2.* Vel quod certo saltem respectu hoc factum sit, quatenus scilicet non minus ac in veris ac quasi contractibus quæstio de dolo culpave locum habeat, Ludwell. *disct. loc. num. 6.* Gregor. Biccus *d. l. quæst. 6.* Nec secundò adversatur, quod precarii nomine actio præscriptis verbis detur in *l. 2. circ. fin. h. t. l. 19. §. 2. eodem.* Quia per actionem de præscript. verb. non intelligenda est ordinaria quæ ex quatuor illis articulis, do ut des, do ut facias, facio ut des, & facio ut facias datur, sed incerta, irregularis & anomala illa quæ non ex negotio contracto, sed extra ordinem variis ex causis competere potest, & ex bono & æquo, & propter naturalem æquitatem arg. *l. 65. §. 3. ff. de cond. indeb. conceditur.* Tabor in *jurispr. element. p. 193.* Bachov. *ad Treuil. cit. loc. lit. H.* Hahn. *ad Wesenb. cit. loc. n. 2. & 6.* Wissenbach. *vol. 1. ad ff. Disp. 38. §. 7.*

THESES. VIII.

Diximus porro precarium esse actum liberalitatis, idque autoritate Ulpiani in *l. 1. §. 2. ff. hoc tit.* ubi genus liberalitatis dicitur, & Pauli in *l. 14. ff. hoc tit.* ubi

magis ad donationes & beneficii causam quam ad negotii contracti conditionem precarii, spectare, ait. *Genus liberalitatis* verò dicitur, cum propriè sic dicta liberalitas, cui prodigalitas & avaritia opponuntur, non est, sed liberalitas quædam, non aliter quam ut legatum donatio quædam dicitur in §. 1. *Inst. de Legat.* ubi Dd. confer. Petr. Muller. in not. ad *Struv. Syntagm. univ. Jur. h. t. §. 1. lit. E.* Cætera definitionis verba, quia partim objectum, partim subjectum, formam & effectum precarii respiciunt, hoc loco explicare superfedemus, quia infra in causis hæc omnia examinabimus.

THES. IX.

Definitionem excipit divisio: Dividitur autem communiter precarium in precarium simplex & non simplex: *Illud* dicitur, quo usus alicujus rei tantum conceditur precario l. 6. §. 2. ff. b. t. l. 10. §. 2. ff. de acquir. vel amitt. possess. Hoc, quo etiam possessio præter usum conceditur; potest enim precario concedi usus sine possessione, vel possessio sine usu rei, vel utrumq. l. 2. §. 3. l. 4. §. 1. l. 6. §. 3. l. 9. l. 12. in pr. l. 15. §. 4. l. 17. ff. b. t. Sleif. ad Wesenb. b. t. n. 3. Bachov. ad Treutl. d. l. 5. lit. C. Lauterb. in comp. ff. b. t. vers. *Est vel simplex &c.* Sunt, qui precarium aliud faciunt purum sive merè gratuitum, & aliud mixtum, cui aliquod accedit lucellum exemplo commodati, l. 5. §. 2. ff. commodat. sed minus rectè, & satis refelli videtur hæc divisio ex l. 2. §. fin. ff. b. t. ibi, *ex hac solummodo causa, quod preces adhibuit.* confer. Hillig. in Donell. Eenucl. lib. 14. c. 34. lit. A. Bachov. ad Treutler. d. l. lit. C. ferè circa fin. Ludw. ad Wesenb. d. l.

THES. X.

Progredimur ad causas; Et precarii causam efficientem remotam dicimus esse Jus Gentium & Jus Civile: juris

juris gentium quidem quoad originem, nam hoc genus liberalitatis ex jure gentium descendere, ait Paulus *in l. 1. §. 1. ff. b. t.* ast quoad approbationem & quoad modum habendi exequendive precarium, juris civilis prætorii est, vid. Petr. Muller. *in not. ad Struv. d. l.* confer. Eckold. *in Compend. ff. b. t. b. 3.* Propingva verò causa efficiens est liber consensus & concedentis & rogantis precarium *l. 1. pr. §. 1. l. 2. §. 2. l. 7. §. 3. l. 15. in pr.* utcunqve verbis, literis aut facto *l. 9. & 13.* per principales ipsos vel per procuratorem, & ratihabitionem declaratus, *l. 6. §. 1. l. 13. ff. b. t.* etiam tacitus *l. 4. §. 4. ff. b. t.* confer. Lauterbach. *in compend. ff. b. t. vers. causa effc.*

THES. XI.

*Subiectum* precarii sunt Omnes, non attento ullo discrimine sexus, sive masculus sit, sive scemina, modo non naturâ, lege vel consuetudine prohibeantur: In genere qui alienare & acquirere possunt: seu, ut alii ob affinitatem quam precarium cum commendato habet, hoc exprimunt: Quanam personæ commodare, eadem etiam precario concedere possunt, & quibus commodari, iisdem etiam precario concedi potest. Cæterum duo notabilia hîc occurrunt: Primum est, quod & is, qui dominus non est, nec ullum aliquod jus in re habet, precario concedere possit, cujus rei exemplum adduxit Mejer. *in C. l. d. b. t. b. 5.* secundum, quod & Pupillus absqve Tutoris autoritate rogare precario & possidere possit *l. 22. §. 2. ff. b. t.* Num verò & qua actione, hoc casu pupillus teneatur, non adeò constat, & vix aliâ quam ad exhibendum actione, modo rem teneat, & non nisi quando locupletior factus est doloseve aliquid commiserit, efficaciter tenetur. *l. 2. & 3. ff. commodati.* Bachov. *ad Treutler. d. l. lit. K.*

THES. XII.

THES. XII.

Objectum precarii sunt res omnes quæ in patrimonio sunt vel esse possunt, seu, qui in commercio privatorum sunt, usum præstant, nec usu consumuntur, Lauterbach. *in compend. ff. b. t.* non tantum res corporales, mobiles scilicet & se moventes l. 9. §. 1. ff. b. t. item immobiles l. 4. pr. ff. b. t. sed & incorporales, ut servitutes. l. 3. l. 12. pr. l. 15. §. 2. ff. b. t. juxta Glossam ad l. 3. ff. b. t. sed Cujac. *lib. 22. b. 37.* minus proprias has esse dicit. arg. l. 2. §. fin. ff. b. t. & adhuc aliter Bachov. *ad Treutler. c. l. disp. 17. b. 7. lit. A.* non sine ratione sentire videtur A priori sententiã tamen vulgò excipiuntur, servitus oneris ferendi, tigni imittendi, altius tollendi, ne scilicet ruinis ædificii civitas deformatur quod LL. 12. Tabul. prohibitum est. §. cum in suo solo. 30. Inst. de rer. divis. & ibid. Dd. de Habitatione res extra dubium non est, num precario concedi possit? Negandum hoc esse videtur propter l. 15. §. 2. ff. b. t. & quia habitatio certum & determinatum usum habet, quod naturæ precarii adversatur. vid. Wesenb. *in parat. ff. b. t. n. 4.* Eckolt. *in comp. ff. b. t. §. 4.* Sed affirmativa verior est, non quidem ex ratione quam adducit Swendorfer. *in notis ad Eckolt. d. b.* ac si falsa sit hypothesis, quod precarium ad certum usum non detur, sed quia habitatio res incorporalis est & ædes ita dari possunt, ut eas vel inhabitare, vel alias locare aut ad quemcunque alium usum adhibere liceat. Consentit Hahn. *ad Wesenb. b. t. n. 4. per l. 2. C. de precar.* ubi simul ad obstantem l. 15. ff. b. t. respondet. Sed num rei propriæ precarium sit, seu, an rem propriam quis precario accipere possit? major dubitatio est; Negatur enim l. 4. §. 3. ff. b. t. & l. 45. ff. de Reg. Jur. Affirmatur autem l. 6. §. 4. & l. 11. ff. b. t. Nulla pugna, inquit Wissenbach.

bach. 2. *Disp. ff. 24. Th. 21.* Rei suæ seu propriæ *precarium* est, ratione scil. non proprietatis, sed possessionis, & usus. Quotidiè enim *precariorum* rogantur creditores ab his, qui pignori dederunt, inquit Ulpianus *in d. l. 6. §. 4. b. t. & l. 35. in fin. ff. de pignor. act.* ubi Jctus Florentinus ait, potest tamen & pro *precariorum* & pro *conducto* debitor re suâ uti. Add. *l. 33. §. fin. de usurp. & usuc.*

Tit. XIII.

Ad Formam *precariorum* pertinent (1) *Preces*, utpote quæ necessariò præmittendæ, adeò ut ubi nullæ *preces*, ibi quoque nullum *precarium* sit, (ut supra *Th. 1.* jam diximus.) Quod si verò quis non rogatus sed motu proprio usum alicujus rei gratis concesserit, *precarium* non præsumatur, sed vel *commodatum* vel *donatio*. Num verò præsens à præsentem *precarium* rogaverit, an præsens ab absente per *Nuntium* vel per *Epistolam*, perinde est. *l. 9. ff. b. t.* (2) *Traditio* rei *precariorum* petita facta sit, idque vel verè vel quasi i. e. *patientia*, si est res *incorporalis*, sive etiam per *fictionem* brevis manus *l. 2. §. fin. l. 3. l. 15. §. 4. & l. fin. §. 1. ff. de prec.* (3) Ut *traditio* sit *gratuita*, descendens ex mera *liberalitate* *l. 1. §. 1. l. 2. §. 3. l. 14. ff. eod.* (4) Ut *detur* ad *usum* aliquem *l. 1. pr. §. 3. l. 2. §. 3. l. 15. ff. eod.* Eumque (5) *incertum* planè & *indefinitum*, ut *precarium* qui concessit, pro *lubitu* *revocare* possit. *l. 1. pr. & §. 2. l. 2. §. 2. ff. b. t.* Quod adeò verum, ut nec *expressa conventio*, ut ad *certum tempus* quis *precariorum* teneat, *ullas vires* habeat, sed *nihilominus* concedens *precarium* *revocare* possit. *l. 12. ff. b. t.* cum enim hoc *factum* *contradictionem* involvat, imò *naturæ* & *substantiæ* *precariorum* repugnet, quæ est ut

B

petenti

petenti tam diu concedatur, quamdiu patitur qui concessit *l. 1. pr. ff. b. t.* merito pro non adjecto habetur. *arg. l. 5. C. de LL. post. Bronchorst. & Hotomann. illustr. 99. 37. Biccus sup. cit. tract. quest. 8.* An ergo Precarium illico & confestim atque res concessa est, revocari possit? jam in quaestione venit. In diversum abeunt Dd. Affirmat Treutl. *1. d. 24. b. 5. lit. b. cum ibid. cit.* Negat Bachov. *ad Treutl. d. l.* Sunt qui distinguunt inter jus strictum & jus benignum ex humanitate & æquitate naturali resultans, adeoque secundum illud affirmativam, secundum hoc negativam defendunt: sed affirmativa (modo fraus ac dolus absit,) de jure nostro verior est, propter *l. 1. pr. l. 12. & l. 22. §. 2. ff. b. t.* Nec adversatur primo, quod beneficio juvari nos oporteat, non decipi. *l. 17. §. 3. ff. commodati.* Nam hæc natura precarii est, ut statim quandocunque libet, revocari possit, quam cum non ignoret, vel certe ignorare non deberet rogans precarium, sibi imputare debet, cur non potius rem commodato ad certum & definitum usum, quam precario ad incertum acceperit. Eum verò qui concessit, dum suo jure utitur, in re sua repetenda nemini injuriam facit *l. dolo. ff. de Reg. Jur. Ludw. ad Wesenb. b. 1. n. 4.* & Biccus tam in Aurea *Seç. 40. b. 39. lit. t.* quam in *cit. tr. quest. 8.* Nec secundo *l. 4. & 5. ff. b. t.* ut ut enim in his LL. de precario ad tempus concessio ejusdemque expressa & tacita prorogatione agatur, tamen sciendum, illud tantum ibidem dici precarium quidem ad tempus rogari posse, sed illam rogationem nullius esse effectus, neque efficere ut precarium ita concessum necessario ad tempus destinatum invito etiam & nolente Domino, perduret. post Hillig. *ad Donell. sup. cit. loc. Biccus d. l.* Vel, ut Dd.

Da. Stryk. *in Annotam. ad Lauterb. compend. ad verba, obst.*  
*l. 4.* respondet, agitur quidem in illa Lege 4. de pre-  
cario ad tempus concessio, non tamen ibidem negatur,  
precarium ante illud tempus repeti non posse. confer.  
Mejer. *in C. l. A. b. t. §. 7.* qui paulo aliter dubium ex  
*l. 4. & 5. ff. b. t.* desumptum, resolvit. It. Dn. Berger.  
*in resolut. LL. obstant. in Compend. Lauterb. It. Struv. in Decis.*  
*Sabbathin. Cap. 4. Decis. 10.* Sed numne moribus hodi-  
ernis hoc secus se habeat, adeo ut si precario pactum  
de non revocando intra certum tempus adjectum sit,  
illud valeat, adeo ut qui concessit precarium, illud  
revocari non possit, quaestio est? Et post Brunnem.  
*ad l. 12. ff. b. t.* hoc affirmat Dn. Samuel Stryk. *in*  
*Cautel. Contr. Sect. 2. c. 2. §. 5.* & *in Annotam. ad Compend. ff. Lau-*  
*terb.* sed contrarium defendit Struv. *in cit. Decis. Sabbath.*  
ubi & ad Brunnemann. adductam rationem respondet.  
Sunt quidem qui putant, quod si pacificentes praecise &  
absolute voluerint, ut pactum illud omnino servari  
debeat, negotium in aliud genus degenerare & vel com-  
modatum sit vel ususfructus, non precarium, post Lu-  
dov. Engel. *in Colleg. univers. jur. canon. tit. de precar. n. 2.*  
Dn. Fleck. *supr. cit. loc. lib. 3. c. 14. n. 12.* Sed si Dominus  
concedens non aliam mentem habeat, quam precarium  
usum concedendi, nec commodatum ineundi, qui com-  
modatum hic fingere liceat, non videmus, ut itaq; Stru-  
vii sententiam adhuc praefereendam esse nulli dubitemus,  
cum, quod pactum hoc sit contra naturalem & formale  
substantiam precarii, tum, quod *in l. 12. ff. b. t.* expresse  
dicatur, quod *nulla vis sit hujus conventionis*, ut rem ali-  
enam Domino invito possidere liceat, quae ratio in  
ipsa aequitate naturali fundata est. *l. 2. §. 2. ff. b. t.* conf.  
Dn. Titius *in Observat. in Comp. Lautorbach. b. t.* ubi inva-  
lidum

lidum dicit hoc pactum, non quod sit nudum, sed quia contradictoriū & illa ratio, inquit, hodie adhuc obtinet.

THESES. XIV.

Finem precarii cum formā quidem confundere voluit Eckolt. ad ff. b. t. §. 5. sed notatus eapropter merito à Dn. Swendendorfero in Annot. & Supplem. ad cit. loc. ubi recte, Finem precarii, Usum rei constituit. l. 1. §. 3. l. 2. §. 3. ff. b. t.

THESES. XV.

Effectus non malè constituitur alius personalis, alius realis: ille iterum vel primus est vel ex primo ortus: primus est obligatio rogantis; tenetur enim non tantum ad restituendam rem concedenti quando libet, (per superius deducta) sed & ad damnum resarciendum, si quod culpā ipsius latā vel dolo contigit l. 8. §. 9. ff. b. t. Effectus personalis ortus est actio, non civilis quaedam, utpote quæ non datur ex precario l. 14. ff. b. t. & l. 14. §. 11. ff. de furt. Sed actio præscriptis verbis seu incerti conditionis non ex precarii negotio sed ex æquo & bono l. 2. §. 2. l. 19. §. 2. ff. b. t. Wefenbec. in parat. ff. b. n. 6. & ibidem Hahn. in observat. Lauterbach. in compend. ff. vers. onerosus est obligatio &c. confer. supr. §. VII. Effectus realis primus est possessio, quam consequitur, qui precarium rogavit, modo non simpliciter precarium usum sed diserte ut sibi possidere vel retinere liceat. l. 2. §. 3. l. 4. §. 4. l. 6. §. 3. l. 15. & 22. ff. b. t. Quæ tamen non alia quam naturalis est possessio, nunquam enim animo sibi habendi possidet precarium rogans. De hac possessione aliàs quæri solet, num justa fit, an injusta seu vitiosa? Et omnino distingvendum, an rogans precario litem habeat cum concedente eiq; se opponat, an rem habeat cum extraneo seu quodam Tertio: priori casu



casu vitiosa est & injusta, vi clausulæ, vi, clam vel precario. Posteriori casu justa est. l. 1. §. ult. l. 17. ff. h. t. Efficiens realis ortus respicit vel concedentem, vel rogantem precario: Huc pertinet, quod precario possidens habeat adversus omnes, solo concedente excepto, interdictum *Uti possidetis*. l. 17. ff. h. t. l. 1. §. fin. ff. *uti possid.* Illuc spectat interdictum de precario (quod antiquius est actione præscriptis verbis & tempore introducti interdicti non competit. Vid. Mejer. in C. 7. A. b. t. b. 9. circ. fin.) de quo porro agendum, quia hujus propria in hoc titulo sedes est.

THES. XVI.

Describimus autem illud, quod sit interdictum restitutorium, recuperandæ possessionis, competens ei qui precario dedit, adversus accipientem ad rem restituendam, damnumque dolo vel culpâ latâ admissum, refarciendum.

THES. XVII.

Causa efficiens hujus interdicti remota est Prætor l. 2. pr. ff. h. t. qui ex summa æquitate hoc interdictum introduxit l. 15. & l. 2. §. 2. ff. h. t. Ubi Ulpianus: Et naturalem in se habet æquitatem & precarium revocare volenti competit; Est namque naturâ æquum, tandiu te liberalitate meâ uti, quamdiu ego velim, & ut possim revocare, cum mutavero voluntatem. Causa propinqua est denegatio restitutionis rei precario concessæ: seu, injusta & ingrata recusatio ejus, qui precario accepit; Accipiens enim obstrictus est rem precario concessam in specie seu in individuo restituere, cum per precarium nullum transferatur dominium, sed precario dans retineat dominium & possessionem rei precario concessæ, hujusque solum concedatur usus,

non verò abusus post Brunnem. ad l. 2. ff. b. t. Petr.  
Müller. ad Struv. exerc. 45. §. 157. Strauch. Dissert. jur.  
13. §. 11.

THESES. XVIII.

*Subiectum activum* est is cui datur hoc interdictum,  
datur autem ei, qui precario rem mediatè l. 19. §. 1. ff. b. t.  
vel immediatè concessit & revocare vult l. 2. §. 2. l. 7.  
ff. b. t. licet ejus non sit. l. 6. §. 4. l. 7. & 8. pr. ff. b. t.  
Item Concedentis Heredes. l. 8. §. 1. ff. b. t. Precarii  
rogatio enim ad heredes ejus qui concessit, citra novam  
conventionem, transit, nec morte concedentis finitur  
l. 12. §. 1. ff. b. t. Nec obstat l. 4. ff. loc. cond. quia si ab  
initio clausula fuit adjecta, *quandiu voluero*, voluntas  
ipfius morte expirasse censetur. Wissenbach. 2. Diss.  
ad ff. 42. §. 20. Ungepaup. ad Decretal. tit. de prec. n. 5. &  
Eckold. in Compend. ff. b. t. §. 6. Cæterique Successores  
etiam singulares. l. 8. §. 2. ff. b. t. & ibid. Brunnem.  
n. 2. Denique & Creditores qui rem oppignoratam  
debitoribus concedunt l. 6. §. fin. l. 11. ff. b. t.

THESES. XIX.

*Subiectum passivum* est is, adversus quem hoc inter-  
dictum datur: datur verò non tantum contra eum,  
qui rem precario rogavit, sed & qui modò precarium  
habet; fieri etenim potest, ut quis non rogavit sed  
habeat precarium. l. 4. §. 2. ff. b. t. Item qui dolo malo  
desiit possidere l. 8. §. 3. & fin. ff. b. t. l. 131. & 150. ff. de  
Reg. Jur. Etiam illum qui rem suam precario possidet,  
sicut contingit in debitore creditorem suam oppigno-  
rante l. 6. §. fin. ff. b. t. Zoëf. ad ff. b. t. n. 5. Sic quoque  
competit adversus heredes ejus qui precario roga-  
vit, (nam ipsi duntaxat non heredi concessa possessio  
est, l. 12. §. 1. ff. b. t.) & quidem sive habeat, sive dolo  
malo

malo fecit, quo minus haberet, vel ad se perveniret,  
lit. l. 8. §. fin. ff. b. t. & l. 2. C. eodem. Denique & ad-  
versus Pupillum Tutoris autoritate rem habentem.  
l. fin. §. 1. ff. b. t.

THESES. XX.

Ad Formam hujus interdicti pertinet quod sit inter-  
dictum restitutorium, non prohibitorium vel exhibi-  
torium, l. 2. §. 1. ff. b. t. recuperandæ possessionis, l. 2.  
§. 2. l. 5. pr. & §. 4. l. 22. ff. b. t. & denique quod sit per-  
petuum, & post annum competat; continet enim rei  
persecutionem. l. 8. §. 7. ff. b. t.

THESES. XXI.

Effectus interdicti est, ipsa res precario concessa,  
una cum fructibus post interdictum editum perceptis,  
reddatur, & Actor in pristinam causam restituatur, l. 8.  
§. 4. ff. b. t. nec non ad damnum quod dolo aut lata culpa  
datum teneatur accipiens, d. l. 8. §. 6. eod. Quod autem  
dicimus dolum & latam culpam duntaxat in restitutio-  
nem venire, intelligendum est ante interdictum, nam  
post illud, si quis moram fecerit precario, & dolum  
& culpam & omnem causam præstare debet, ne mora  
obsit concedenti. d. l. 8. §. 1. quod si non faciat, in id  
condemnatur, quod agentis interest, ei rem restitui,  
ex eo tempore à quo res petita & interdictum editum  
est: Unde & fructus ex die interdicti editi præstabun-  
tur, quodque ex re natum erit, & quidem cum omni  
causa d. l. 8. §. 4. & l. 10. ff. h. t. Perez. in Cod. b. t. n. 7.  
confer. Perr. Muller. ad Siruv. d. l. 8. §. 159. lit. b. Hoc  
tantum addimus, quod ex dolo defuncti eatenus tene-  
atur Heres, quatenus ad eum pervenit. l. 8. §. ult. ff.  
b. t. C. l. 4. b. t. §. 13. in fin.

THESES. XXII.

THESES. XXII.

*Affine huic interdicto remedium est actio præscriptis verbis quæ ex bona fide oritur & incerti condictione dicitur in l. 2. §. 2. l. 19. §. ult. ff. b. t. (quæ de supra Thef. 7. diximus,) in arbitrio itaque concedentis est agere hoc interdicto de precario, an præscriptis verbis actione experiri velit, utriusque enim idem est finis & effectus. Perez. in Cod. d. l. n. 5. confer. Mejer. in C. I. A. b. t. §. 14. Cæterum inter alias causas cum primis interdictum cessat, si de re restituenda cautum sit, quia isto modo videtur renuntiasse auxilio prætorio & civile elegisse l. 15. §. 3. cum quibus ff. b. t. Zoëf. ad ff. b. t. n. fin. Confer. Mejer. d. l. §. 16. & 17.*

THESES. XXIII.

*Precarii Contraria sunt (1) Revocatio concedentis. l. 1. pr. ff. b. t. (2) Mors accipientis, l. 12. §. 1. b. t. c. 3. X. de Precar. l. 11. ff. de div. & tempor. præscript. (3) Consolidatio proprietatis & usus arg. l. 4. §. 3. ff. b. t. (4) In casu, quo quis à Creditore pignus precario accepit, debiti solutio. l. 6. §. fin. b. t. (5) Rei alienatio cit. c. 3. X. de precar. Lauterbach. in Compend. ff. b. t. circ. fin.*

THESES. XXIV.

*Affinia verò Precarii sunt cum primis donatio & commodatum, l. 1. §. 3. it. l. 14. ff. b. t. l. 14. §. 11. ff. de furt. adeò ut usus quondam donationem precarium esse non malè dixerit. Reinh. Bachov. ad Wesenb. b. t. lit. b. Differt tamen à donatione in eo, quod in donatione dominium transferatur, & non nisi certis ex causis revocari possit: in precario verò nec dominium transfertur & pro lubitu revocari potest, uti ex supra dictis patet. conf. Hahn. ad Wesenb. b. t. n. 3. Eckolt. in compend. ff. b. t. §. 1.*

THESES. XXV.

Cum *Commodato* autem in eo quidem convenit precarium, quod usus in utroque concedatur, & insuper gratuitus: dein, quod res quæ commodari & precario dari possit, item, quod qui commodare possunt & commodatum accipere: precarium dare & accipere possint: sed in multis quoque invicem differunt, & quidem (1) quod commodatum sit contractus proprie sic dictus, precarium minime. Vid. *supr. Thes. IV.* (2) Ex commodato ultro citroque nascitur obligatio, ex precario non item; dependit enim ex mera liberalitate ejus, qui precarium concessit. *l. 8. §. 3. ff. b. t.* (3) In commodato omnis, etiam levissima culpa præstanda est. *l. 5. §. 2. & l. 18. ff. commod.* in precario non nisi dolus & lata culpa *l. 8. §. 3. & 6. ff. b. t.* idque ob hanc rationem, quia precarii usus instabilis, & in momento ad concedentis nutum revocabilis est, ita ut nulla prope vel minima accipientis sit utilitas. Mejer. *in C. I. A. b. t. §. 3. Zoëf. ff. b. t. n. 4. Lauterb. in Commentar. ad ff. theor. Pract. tit. Commod. §. XXXIX. & P. Müller. ad Struv. b. t. §. 59. tit. 5.* (4) In commodato nunquam transit possessio rei commodatæ. *l. 8. ff. commod.* in precario nonnunquam transit in rogantem, si scilicet precibus adjecerit, ut sibi possidere liceat. *l. 4. §. 1. l. 15. §. 4. ff. b. t.* (5) In commodato heres in solidum tenetur. *l. 49. ff. l. 12. ff. de Obl. & Act. l. 3. §. 3. l. 17. §. 2. ff. commod.* in precario heres rogantis non nisi quatenus ad eum pervenit seu quatenus habet *l. 8. §. fin. b. t.* & (6) quod merito primo loco poni debuisset, quod in commodato usus quidem concedatur accedente certo modo, fine & tempore, idque non tantum expressè, sed & tacitè. *l. 17. §. 3. ibi, modum commodatig. finem præscribere. ff. commodati.*

C


In

In precario usus rei gratis itidem, sed sine certo & determinato modo & sine petenti conceditur, tam diu quam diu is qui concessit patitur & precarium non revocet. *l. 1. pr. §. 2. ff. b. t.* Conf. Mejer. *d. l. §. 3.* Eckolt. in *Compend. ff. b. t. §. 2.* & Bicc. *supr. cit. tr. quest. 8.*

THESES. XXXVI.

Inter *affinia* quoque vulgò Dd. referunt precarias Juris Canonici, prout videre est apud Wesenb. in *paratit. b. t. n. fin.* Lauterbach. in *Compend. ff. b. t. fere circ. fin.* Mejer. in *C. 1. A. b. t. 15.* Sed quam magna sit inter precarium hoc nostrum & inter precarias Juris Canonici diversitas, & quot modis inter se differant, prolixè exposuerunt Tabor. in *notis. ad C. 1. A. b. t. b. 15. it.* Ludov. Engel. in *Coll. Jur. Canon. p. 2. lib. 4. tit. 2. de Precar.* Georg. Fransk. in *Tr. de Laudem. c. 13.* Gregor. Bicc. in *cit. tract. de possessione. quest. 7.* qui ex professo hac de re egit, ad quos L. B. remittimus, nihilq; addimus, quam quod duo sint genera à Canonistis introducta: quorum unum precaria in singulari, alterum precaria in plurali dicitur: inter quæ ita distinguunt, ut precarium fiat ad mortem accipientis, nec ante revocari possit: precaria verò singularis lustris renoventur post Rittershus.

*de feud. c. 3. quest. 9. & 12. Ludw. ad Wes. b. t. circ. fin.*



Greifswald, Diss., 1702/05

ULB Halle

3

004 564 162



TA → Öl

mit 7 + 77 Stück verknüpft und  
f







Q. D. B. V.  
DISPUTATIO ORDINARIA  
EXHIBENS

SYNOPTICAM  
PRECARIII  
TRACTATIONEM,

Quam

Divini Numinis Auspicio

PRÆSIDE

DN. PETRO MASCOVIO,

Jcto & Antecessore Ordinario, Juridicæ Facultatis  
Seniore & p. t. Decano, Regiique Confistorii  
Directore,

*In Auditorio Majori*

*D. 22. Decembris Anno 1704.*

publicæ placidæque ventilationi  
submittit

JOACHIM. HENRIC. *Bolschow/*

Berg. Rug.

\*\*\*\*\*

GYPHISWALDIÆ,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,  
Reg. Acad. Typogr.

36.  
1704, 13  
21

36.  
38.